DE
MORBO PSEUDOSYPHILITICO SIVE DITHMARSICO POMERANIAE TRANS-PANENSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES ADAMUS RAU.

WIRCEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. E. KELSCH MED. DR.
A. HOFMANN, MED. CAND.
A. BRUEGGEMANN MED. DR.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRI, GENEROSISSIMO, EXPERIENTISSIMO

A. E. de SIEBOLD

PHILOS., MED CHIRURG. ET ART. OBSTETRIC. DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITTERAR. BEROLINENSI MEDIC. ART. OBSTETRIC. PROFESSORI PUBL. ONDINAR., INSTITUTI REGII OBSTETRICII CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUILAE RUBRAE, ORDINIS HANOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLEGII. MEDICO-TECH. PRIMAR. MEMBRO, ACADEM. REG. NATUR CURIOS. SOCIET. MEDIC. AEMULANT. PARIS. PHISIC. ET AMICOR. ART. OBSTETRIC. GOTTING., IENENS., HANOV., SCIENTIAR. PHISIC. ET MED. AD RHENUM INFERIOR., NAT. CURIOS. SENKENBERG. ETC. ETC SODATI.

PRAECEPTORI ET FAUTORI

SUO PRAE CETERIS COLENDO

NEC MINUS

FRATRI OPTIMO, AMATISSIMO, DILECTISSIMO

A. RAU

PHILOS. DOCTORI, IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI HISTOR. NATUR. ET SCIENT. SALTUAR. PROFESSORI PUBL. ORDIN, CAESAR. ACADEM. LEOPOLD. NATUR. CURIOS. SCRUTAT. ADIUNCTO, COMPLUR. SOCIETAT. LITTERAR. SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

TANQUAM

SUMMAE AMORIS GRATISSIMIQUE ANIMI

TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

Lecturis S.

Quum Gryphiae aliquamdiu studiis medicis incumbens, institutorum practicorum quae eo loco florent particeps essem, contigit mihi, ut in eius almae universitatis litterariae clinico chirurgico non solum quotidie fere plures aegrotos morbo Dithmarsico sive pseudosyphilide adfectos viderem, verum etiam unum aeterumve eorum curandum, observandumque acciperem. Mirum profecto non est, omnem meum animum admiratione commotum et ad summam adtentionem incitatum esse, quum varias et proteas quasi huius morbi formas toties ante oculos haberem; maximo potius exarsi studio eius morbi naturae magis magisque cognoscendae, et quamvis rei novitas et singularis ratio dubia quam maxima saepius mihi moverunt, tamen, scriptorum de hoc, similibusque morbis opera, nocturna diurnaque manu versans, Struvii praecipue viri clarissimi de Holsatiae lepra librum iterum iterumque perlegens, eaque quae modo didiceram cum ipsa natura comparans et componens, egregia delectatione maximoque gaudio sum adfectus, quum semper fere perfectum inter ipsam naturam, eaque scripta consensum reperirem.

Praetererea clinici chirurgici Director Illustr. Sprengel benigniter mecum ea, quae de huius morbi natura et historia hactenus observarat inveneratque communicavit, cui viro ob ista insuperque alia tot ac tanta benignitatis specimina gratias puplice ex animo solvo sinceras.

En igitur B. L. quae verecunde et modeste Tibi offero: neque multa nova eaque inaudita prodere, neque propria inventa venditare studeo, neque perfectam et accuratam huius morbi descriptionem, eiusque verae naturae expositionem praebere possum. At oleum operamque non omnino perdidisse mihi videor, quum, morbum, quem omnino non esse plurimi adhuc credunt, non in Holsatia tantum verum etiam per Pomeraniam Transpanensem grassari, Struviique descriptiones cum ipsa natura Pomeranici quoque morbi congruere demonstraverim.

Historiae morbi Dithmarsici in Pomerania Trans-Panensi primae lineae.

§. 1.

Ex iis actis scriptisque, quae a Collegio sanitatis, quod olim Gryphiae sedem habuit, relicta, Sundiae in Supremii Regiminis Collegii tabulariis servata, Ill Sprengelio petenti benigniter communicata fuerunt, elucet, anno MDCCLXXXVI primum de morbo venereo sive gallico per omnem provinciam latius propagato, dispersoque, actum fuisse; memoriae dignum videtur, quod eodem anno in Holsatia morbus Dithmarsicus, quem et ibi interdum venereum esse censuerunt 1), augeri, latius serpere, ideoque medicorum, collegiorumque superiorum oculos advertere coepit 2). Quodsi in Holsatia eius morbi, hoc ipso anno ortus, vel saltim repentinum augmentum vel ex laboribus iis, quibus magna hominum copia in vastis paludibus coëcendis et per aggeres muniendis vacavit, vel ex leprae

1) Hübener de morbi Dithmarsici natura ac indole. Kiliae 1821 pag. 9. et Struve über die aussatzartige Krankheit im Holstein. allgemein dasselbst Mauschkrankh. genannt ein Beitrag z. Kenntniss der pseudosyph. Uebel 1820.

2) Struve l. c. pag. 29.

arcticae per Norvegica operarios advectae, contagione 3) explicari fortassis potest, in Pomerania fere nullum tale momentum locum habuisse videtur Neque curarunt medici ut videtur, morbi in Pomerania ortum eruere, quum omnibus firmiter persuasum fuisse videatur ipsum esse venereum, eundemque qui ex trecentis fere annis inde hancce provinciam primum invaserat 4) quem tamen Ill. Dr. Haken, provinciae protomedicus, per milites Suecicos denuo ad vectum esse, suspicatus est 5).

§. 2,

Anno autem laudato Summum quod rebus publicis praefuit provinciae Collegium, a collegio sanitatis Grypeswaldensi petiit, exponeret doceretque, quibus auxiliis remediisque morbus venereus coërceri posset, ne latius per universam provinciam grassaretur; quo facto anno MDCCLXXXIX Collegium sanitatis per litteras nuntiavit, morbum venereum, praecipue quidem per concubitum, haud raro etiam per lectorum, vestimentorum, supellectiles fistularumque tabacoriarum communionem, nec non per nutrices clam morbo adfectas, propagatum et tam vulgatum esse per omnem provinciam, ut funditus cum eliminari inter pia tantum esset vota; fieri tamen posse, ut aegrotos studiose investigando curandoque, illos qui lue adfecti, illam celarent, puniendo, circulatores et vetulas medicatrices a medicina facienda retinendo, caupones, scrutarios et eiusdem generis homines ad summam rerum suarum elegantiam et munditiem exhortando, instituto denique quod nutricum sanarum aptarumque in promtu habendarum curam haberet (Ammen - Bureaux) condendo, luis puta venerea progressus sensim sensimque reprimerentur morbique saevities mitigaretur. Quorum sapientium consiliorum utrum ullum sequuti sint imperantes nec ne, in incerto est, videturque potius omne

---

3) ibidem Hübner l. c. p. 9.

4) Sciphover de Meppis chronica in Henslers Geschihte der Lustsäuche Vol. 1. p. 115.

5) Amts-Memorial des Provincialarztes Dr. Haken wegen der in der Provinz sich verbreiteter Lustsäuche den 15. Febr. 1808 ex exceptis Sprengelii.

hoc negotium oblivioni traditum esse, lues autem ipsa interea longius latiusque serpsisse.

§. 3.

Ut enim ex actis supra laudatis patet, anno MDCCCVIII demum Ill. Haken provinciae protomedicus, Summo Regiminis Concilio nutiavit, luem veneream inter populum ex quodam tempore, magis magisque divulgari, augeri quotidie, totasque familias sternere; neque, ut alias fieri solet, iuvenes puellasque, sed praecipue matronas, uxoresque veteres afficere, a quibus tunc, non quidem concubitu, sed supellectilium communione, et iuniores totaeque familiae inficerentur; mares autem rarius correptos animadvertisse videtur. Vir Cel. inter plura bona et notatu digna, nosocomia plurima in urbibus pagisque instituenda suasit. Consilium sanitatis autem, cui Hakenii litterae traditae fuerunt tam divulgatum esse morbum tamque communem dubitavit quidem, denuo autem prudentia aptaque edidit consilia, quibus autem iterum non obtemperatum esse videntur.

§. 4.

Anno denique MDCCCXIV Circuli Grimmensis physicus (medicus quidam) denuo, luem in pagis Truen et Sassen praecipue saevire, ipsum autem ut videretur, centrum et stirpem qnasi Stahlbrodae pago martimo, e Rugiae regione sito, habere nuntiavit. Quaesivit etiam Vir Cel., cur licet pluries de teterrimo hoc morbo actum esset, nihil tamen omnino effectum esse videretur? causamque accusavit ipsius morbi magnam varietatem, repentem eius et clandissimam saepius indolem, quae sanatum simulans, postea tamen magna cum saevitie redire soleret, hominumque segnities et de insonti eius morbi neque ullo modo contagiosa natura falsam persuasionem, quam eo fulcire solerent, quod marem infectum, sine ulla noxa saepius cum uxore sana diu cubuisse narrarent.

Eodem anno ut videtur Collegium sanitatis rursus a Supremo Regiminis Collegio in consilium vocatum, omnia illa quae bis iamiam frustra prolata fuerunt, repitiit, edictaque publica divulganda, medicos omnes exhortandos, generalemque omnium provinciae incolarum explorationem medicam instuendam esse suasit, neque non schematibus variarum promulcationum instructionumque exhibendis vacavit, ex quibus elucet, morbum mere venereum ex concubitu fere oriundum,

et ulcera genitalium primum generantem omnino putatum esse.

§. 5.

Quum dein anno MDCCCXXI Ill. Guilhelm. Sprengel in huius urbis alma universitate professor chirurgiae, Gryphiae sedem fixisset, illico multos eorum aegrotorum, qui venereos haberentur, vel ut loqui solent malo morbo, (böse Krankheit) laborarent, curandos accepit. Eos initio quidem et ipse syphilide inveterata adfectos esse putavit, modo autem tantas inter hunc morbum et veram luem veneream invenit differentias, tantamque eiuscum morbo Dithmarsico quam Ill. Struve descripsit similitudinem, immo aequalitatem, ut euudem esse eo facilius sibi persuasit, quominus tantum morbi ipsius venerei in nostris temporibus et nostra regione incrementum tantamque incunctam provinciam saevitiem explicari posse arbitrabatur. Animadvertit enim ex iis pagis viciisque, quos supra iamiam laudavi plurimos quidem, sed ex universa Pomerania etiam ultra-panensi haud paucos, e Rugia, Pomerania anteriori borrusica, et regionibus megalopolitanis quosdam interdum, nostro morbo adfectos, venire; neminem fere concubitu contagionem excepisse, plurimos in nullam contagionis suspicionem venire, paucos tantum genitalium adfectionibus laborare, immo virgines intactas, sanorumque parentium infantes non raro plurimum teterrimo hoc morbo cruciari. Omnia igitur, quantum licuit, perquisivit, et praecipue a pagorum inprimis infectorum incolis historiam morbi percontari, et eruere conatus est, quibus omnibus fere persuasum quidem erat morbum esse venereum et ex longissimis inde temporibus indigenam quasi et endemicum; carebant autem fere omnes taedio eo et horrore, quos alias morbi venerei nomine solo moveri notum est, neque negaverunt, navibus suecicis ad littus adpulsis, militibusque ad terram egressis, maius incrementum morbum sumsisse, immo omnem hunc morbum a militibus illis advertum et dispersum fuisse quidam putaverunt: nihil tamen certi de hisce rebus erui poterat, contradicentibus sibi invicem plurimorum narrationibus. Evidentia igitur originis morbi testimonia, quum invenire non posset vir Cel. suspicatus est, illa in ipsa provincia ex terrae indole, vitae genere incolarum negotiis, aëre, aquis et locis fortassi oriundum esse, itaque iudicium illud de morbi pseu

dosyphilitici generatione fecit, quod postea, eius morbi descriptione antea exposita, quum de eius causis sermo erit, proferam, argumentisque fulcire conabor.

II. Morbi Dithmarsici in Pomerania Trans-Panensi descriptio.

§. 6.

Quantum ex permultis iis casibus, qui hactenus et in clinico chirurgico, et inprivata praxi, benigniter mihi communicatis, occurrerunt, concludere licet, frequentissime pueri puellaeque, et mulieres saepe matronae, interdum infantes, rarius adoloscentes, rarissime viri robusti, et senes, morbo adficiuntur. Certum decursum ille numqunm exhibet, alter ab altero casu magnopere differt, ita, ut ne certae quidem periodi stadiaque definiri possent. Plerumque autem vel coryza et vehementi gravedine, vel artuum praecipue antibrachiorum, et crurum doloribus, versus vesperam et ante mediam noctem exacerbatis, versus matutinum tempus et interdiu remissis, laborare solent ii, qui morbo nostro adficiuntur. Ad haec male habere, ciborum adpetitu carere, alvum obstructam, animi moerorem et tristitiam pati solent quidam, aliis bene ceteroquin sese habentibus; neque non tonsilarum fauciumque inflamationes, et veras febres catarrhales nostrum morbum praeire visae sunt.

§. 7.

Dum haec symptomata per plus minusve temporis adsunt, vel etiam plane non antecesserunt, plerumque cutis perspiratione, refrigeratione, suppressa, oriuntur localis luis effectus; itaquidem ut vel eae partes quae symptomatibus praegressis iam maxime vexabantur, vel eae quae praecipue frigoris effectui exponebantur primum pati soleant, qui coryza et gravedine adfectus erat, nunc narium tunicae mucosae ulcera patitur; anginam et faucium inflammationem, earum partium, tonsillarum, veli, et uvulae ulcera; artuum dolorem, exostoses, mox in cariem et necrosim abeuntes, vel ulcera extremitatum singularia excipere solent; inferiorum autem partium, et abdominis refrigerationem fere semper genitalium vitia sequentur, neque umquam eorum partium ulcera vel condylomata oriri videntur, nisi ipsis iis partibus vehementi frigori expositis.

Inter hos autem, localis luis pseudo-syphiliticae effectus tanta est differentia, tantaque varietas, ut eos secundum partium ordinem, a capite deorsum progrediens, describere coactus fere sim, ne omnino obscura perturbataque descriptio mea adpareat.

§. 8. Cranii adfectiones.

Plerumque post cephalalgiam intensam oriuntur interdum in comata capitis parte, papulae prurientes, dolentesque mox in pustulas mutatae, quibus ruptis effunditur ichor limpidus, viscosus, luteus, inter crines in crustas escharasque concretus, sub quibus, ex papularum ruptarum excoriationibus ulcera gignuntur confluentia, erosis marginibus, imum petentia, saniem grassam, purique similem fundentia, et cute omnibusque partibus mollibus penetratis, ossa velociter corripientia. Interdum vero loco earum papularum extollitus tumor mollis, pastosus, initio parum dolens, cutis colorem nullo modo adficiens, qui, lente auctus, mollior denique fit, et magis ruber, quo facto rumpi et in ulcus mutari solet, in cuius fundo ossa iamiam corrupta et necrosi adfecta adparent. Utrumque ulcus, illud quod ex exanthemate pustuloso, et id, quod ex tumore ortum est, nunc pariter sese habet, ossa parietalia praecipue petit, et brevi tempore magnas eorum partes destruere solet, necrosi fere semper, raro autem carie, illa corripiente. Ita fere totum os bregmatis alterius lateris necrosi extrusum vidimus, et nunc quidem in clinico chirurgico curatur puella, cuius utriusque ossis parietalis media pars mortua, et mox expellenda videtur. Interdum superficialis tantummodo est illa necrosis, et externam solam laminam solvit; saepius autem omnium ossium strata, lamina utraque et diploë penetrantur solvunturque, ita, ut partibus mortuis dein expulsis duram matrem nudam videas; numquam autem in alio calvariae ossi, numquam in fronte hactenus in morbo observata est, vel caries vel necrosis, quae tunica bregmatis ossa appetere semper videntur.

§. 9. Oculi adfectus.

Ii, qui morbo nostro laborant numquam fere non blepharadenitide adfici solent, quae vix ab illa dis-

tingui potest, quam in scrophulosis frequenter animadvertimus; propagatur autem illa inflammatio occasione data, in omnem coniunctivam oculi, quo facto et blennorrhoeae mitiores moventur, et excrescentiae carnosae, fungique sarcomatosi oriri solent, differunt autem eae excrescentiae magnopere ab iis, quae ophthalmiam aegyptiacam sic dictam excipere solent: nunquam enim totam palbeprarum interiorem superficiem tumidam et carneosam vidimus, vero ex ipsius bulbis coniunctiva singulae carunculae et fungi plerumque extolluntur, qui exiguo inhaerentes pediculo palbeprarum continua compressione dilatati et expansi, ferro facillime aufferuntur, excisi autem brevi tempore repullulant. Praeterea corneae coniunctiva saepissime adficitur obfuscatione et praeter naturam aucta crassitudine, quae mox in pannum abire solet; numquam tamen ex hac coniunctivae corneae inflammatione, ulcera vel phlyctenulas oriri videbantur, quae potius omnino eo tendere videtur, ut pseudoorganismus, excrescentias et humorum exsudationes producat.

§. 10.
Nasi pathemata.

Nares et nasus duplici modo lue pseudo-syphilitica adfici possunt. Modo enim ex perpetua et diuturna gravedine oriuntur ulcera tunicae Schneiderianae, quae, marginibus callosis et fundo albo atque lardaceo, ulceribus venereis simillima sunt, saniem tenuem, ichorosum, mali odoris, fundunt, et celeriter progrediuntur, quae etiam necrosi multo saepius quam carie adfecta, brevi tempore solvuntur; donec et conchae plerumque primum hoc modo extruduntur, quae sequi solet os palati, quo facto et maxilla superior, praecipue eius processus alveolaris, ossa narium, os unguis, et orbitae margo inferior conficiuntur, et mortua, nisi arte extracta, eiiciuntur. Mirum est quanta in hisce, narium et genarum ossibus interdum adest destructio, dum in facie vix tumores, inflammationes, vel ulcera aut aliae praeter naturam mutationes adparent, ex una eaque exigua apertura sub labio superiore facta, extrahi vidimus non solum plura narium et palati ossa, verum etiam permagna utriusque maxillae superioris fragmenta, omnemque fere anteriorem processus aeveolaris partem, postquam antea

os unguis et orbitae margo inferior incissione e regione sacci lacrymalis facta, remota iamiam erant.

§. 11.

Interdum autem et praecipue in pueris puellisque scrophuloso habitu praeditis, oritur apicis nasi vehemens inflammatio et tumefactio: in parta inflammata, rubra et tensa, surgunt papulae et pustulae, quae modo ruptae, ut capitis exanthema supra descriptum, humorem viscosum edunt; ille, licet detersus, denuo utique scatet, et in crustas singulares flavas vel luteas, coagulatur, cornuum formam fere, et succini colorem pellucidatemque referrentes, et iis simmillimas, quas Carmichael depingere curavit 6). Juxta eas crustas et sub iis praeterea verrucae esurgere solent, condylomatibus simillimae, purpureae, siccae, indolentes; nascuntur interea ulcera segnia, superficialia, lentissime progredientia, ita ut ab externa parte imum versus tendentia sero tandem septi narium partem destruere valeant; raro hoc ulcere quod priori multo benignum esse solet, nasi parietes externi consummuntur, raro saltim et sero ossa adficiuntur, quae tunc cariem saepius quam necrosin pati sunt visae, plerumque ulcera ipsa septum solum tenent, omnis nasi cutis condylomatibus et exanthemate crustacea interea sunt tecta.

§. 12.

Antri Highmori affectiones.

Semel tantnm hancce corporis cavitatem pseudosyphilide adfectam vidimus: in ea tunicae mucosae inflammatio, blennorrhoeae et canalis nasalis obturatione excepta esse videbatur; ossa autem ab initio morbi simul maximopere passa esse inde intelligi poterat, quod omnes utriusque lateris et utriusqe maxillae processus alveolaris penitus destructi, et oblitterati quasi essent, ita ut dentes omnes vel elaberentur, vel, corrosis et consumptis radicibus in tumida et condylomatosa gingiva vacillantes tantum haerent. Gena ultra modum tumida et expansa, praecipue eam partem versus, ubi fossa canina sita est, et palati os extensum atque in oris cavitatem prominens, utroque

6) Beobachtungen über die zuf. u. specif. Unterschiede der vener. Krankht. aus dem Englisch. übersezt von Kühn 1819.

ossi Weinholdii acu triquetra perfosso, immensa saniei foetidae et viscosae copia effusa, sensim sensimque sese remisit tumor materies effluens in diem, et paucior et melioris indolis est facta, ita ut perfectam huius aegrotae, nunc quidem in clinico chirurgico curatae, sanationem sperare liceat: miranda in hoc casu, praeter ipsius antri Highmori adfectionem mihi visa est, processuum alveolarium ipsarum dentium radicum consumtio, quae, nullo gingivarum et reliquarum partium ulcere praesente, neque carie, neque necrosi, verum, ut in senectute fieri solet, insensibile quasi resorbtione et confectione peracta esse videtur, aegrota licet ad annum vigesimum nondum pervenerit.

§. 13.

Labiorum, linguae, et faucium vitia.

Ulcera illa narium, quae coryzam excipientia ab interna parte originem ducunt, palatum quoque afficere, quum iamiam animadverterimus, diutiumque et processuum alveolarium singularem consumptionem tetigerimus, de oris partium mollium ulceribus nunc referendum est. Notum autem est omnia oris interni ulcera, vulnera et excoriationes, perpetuo salivae contactu et continua humiditate, mox fundo albo et lardaceo vel aphtoso obtegi; ita, ut, marginibus casu licet inflammatis, tumidioribusque, ulceribus venereis, quae earolos vocare in more est, simillima sese exhibeant; itaque et ea ulcera quae morbus noster in ore gignit. Semper hanc cum venereis similitudinem prae se ferunt. In labio superiore interdum visa sunt ulcera, quae a septo narium orta, lento progressu omnem partem denique consumerent; in inferiori autem labio semel observatum est ulcus, quod marginibus duris et elatis, fundoque impuro, fungisque contecto, cancrosum haberi potuisset, nisi alia symptomata, hominem luè Dithmarsica adfectum esse ostendissent. Neque omnino obsonum mihi videtur suspicari, permulta eorum ulcerum quae vulgo labiorum et faciei cancri, lupi, nolitangere etc. vocantur pseudosyphiliticae esse naturae.

Lingua nonnumquam media sua parte rhagadibus adficitur sive ulceribus longis, linearibus, profundis, incisura fere referrentibus, et, doloribus motis, loquelam deglutitionemque in tonsillis, velo pendulo et uvulae catarrhum chronicum sequi frequenter solent,

solo adspectu a venereis distingui fere nequeunt: modo imum petentia, infundibuli sive calycis formam prae se ferunt, modo latius expanduntur et summam tantum membranam mucosam erodiunt. Iis praesentibus vox necesse est rauca fiat et obtusa, deglutitio difficilis, potio incommoda, quod potus in nares adscendere soleat.

§. 14.

Partium obscoenaram affectus.

Mentulae, vulvae et ani ulcera in morbo pseudosyphilitico nostro rarissime, immo fere numquam oriri solent, semel tantum in praeputio iuvenis candidi, integri et verecundi, qui, equo vectus, illas partes tutuderat, et cuius parentes morbi Dithmarsici vestigia manifesta exhiberent, ulcus ex excoriatione ea mechanica ortum est, quod a venereo earolo omnino diversum, verucas permultas exiguis condylomatibus similes in fundo gessit, marginibus neque callosis, neque erosis, sed sensim quasi in sanam cutim transeuntibus. Praeterea autem, et praecipue quidem in mulieribus vetulis, quae diu artuum doloribus laboraverant, nullum autem impuri concubitus suspectum moverunt, saepe condylomatum in labiis vulvae et ano immensa visa est caterva. Humida ea indolentia et rosea condylomata saepinumero orta esse vidimus, postquam vetulae eae, longiore itinere sudantes, ad abdomen usque in rivos lacunasve descenderant, quod primo vere, ad oves lavandos, incaute plerumque fieri solet; aliquoties etiam in virginibus, quorum hymen integerrimum adparuit, eae excrescentiae natae sunt, abdomine antea, dum solani tubera e terra eligerent, frigidis humi vaporibus diutius exposito 7) Numquam obscoenarum partium destructiones, numquam urethrae blennorrhoeas, et fluorem album in morbo nostro animadvertimus.

§. 15.

Cutis vitia.

Quas Struve frequenter vidit maculas, morbillo-

7) Struve l. c. pag. 131. et eius Beobachtungen über die aussatzartige Krankheit Holsteins etc. in Rust's Magazin, Vol. VIII. pag. 402.

rum speciem referentes 8), eae nobis fere non occurerunt; neque pustulosum illud exanthema vidimus cuius mentionem facit 9). Eo frequentius autem observavimus herpetem eum, quem circinatum, vocant in centro sanam cutim exhibentem, dum in circuli formam undiquaque expanditur; plerumque in manibus et abdomine, nonnumquam etiam in reliqua corporis superficie adparuit, et tam accurate circularem formam visus est adfectare, ut in digito medio vel quarto sedens, et herpetis ambitu ampliore facto utrumque vicinum digitum circuli segmento adficeret; Praeter hunc et herpetis ἐσθιομένου singularis quaedam species in antibrachiorum latere externo, super ulneam, interdum adparere solet, ex cuius phlyctaenulis ruptis ulcera oriuntur herpetica, impura, cutim rodentia, marginibus erosis et sinuosis, quae tamen numquam profundius fodiunt, neque umquam ossa petunt, sed, ulceribns erysipelatosis similia, vario modo torta, per cutim tantummodo serpunt, illamque maeandricis flexubus peragrant, cutis lividae et summopere dolentis, pontibus quasi inter illas flexuras relictis.

In cruribus senum quorumdam, quos morbo pseudosyphilitico laborare putavimus, totam cutim duram, paululum tumidam, tactum vix sentientem, et cuprei vel brunnei coloris invenimus; quod ubi locum habuit, ulcera etiam cutanea, praecipue iuxta malleolos vidimus, sanie pessimi odoris, fundo, viridi vel ex atro rufescente foeda, et marginibus erosis, squamis crassis densisque obtectis, nullam sanationis spem praebentia.

§. 16.

Ossium et articulorum adfectiones.

In Pomerania, ea quae trans Panini fluvium sita est, immensa gignitur ossium morborum copia, ita ut eae formae, quae rariores habemus in reliqua Germaniae parte, ut tumorem album verum et arthrocacem, quotidie fere ibi obviae sint. Earum aegritudinum origo et caussa aliquoties in ea dyscrasia sitae esse nobis sunt visae, qua morbus Dithmarsicus corpus

---

8) Ueber die Marschkrankheit, pag. 6.
9) Ibid. pag. 16.

humanum adficit, quoniam et alia huius morbi manifesta vestigia simul cum ossium adfectione adparent, et haec, generali contra pseudosyphilidem cura instituta, sanaretur 10).

Praeterea autem nullum fere ossium vitium non ex morbo nostro originem trahere posse est visum: et licet caries multo rarior eo producatur, quam necrosis, tamen non solum utramque formam animadvertimus verum etiam spinam ventosam, periostoses, et exostoses, paedarthrocacen, osteomalaciam, et singularum eam ossium consumptionem et resorbtionem lentam, cuius iam supra, in processubus alveolaribus observatae, nuntionem feci. Eius rei analogon et in manu puellae cuiusdam, narium ulcere externo et herpete circinnato adfectae, ortum esse vidimus, neque, ut Wedemeier in lue venerea inveterata observavit 11), in digitorum articulis sedem habuit haec affectio, verum ipsa metacarpi ossium corpora exercuit, ita, ut omnibus metacarpi ossibus brevioribus factis, cute autem sana, digitorum articulationes metacarpales nunc in ipsius metacarpi media parti sitae, et digiti ipsi carpo multo propinquiores essent, eorum autem commisurae ad primae phalangis extremitatem inferioremque provectae viderentur. Ita et semel in vetulae cuiusdam, quae in vico Stahlbrode morbo correpta fuit, cranio, foramen magnitudinis nummi imperialis fere in medio osse bregmatis, manu adtrectavimus, cute insuper sana, et nullam cicatricem exhibente. Dentium radíces resorbtione ea ita consumi, ut neque carie, neque partium mollium ulcere praegresso, in gingivis tantum haererent, et facile taberentur, saepius visum est.

Omnium ceteroquin ossa morbo Dithmarsico adfici posse videntur, neque articulos minus quam ossium longorum corpora infestat, neque brevibus ossis et fungosis magis quam planis firmisque parcet; modo ex interna fabrica eorum oriundus cariem centralem efficit, modo externum periostium primum corripit; id tamen, ut supra iam monui, semper observatum est, ex cranii ossibus, ossa bregmatis unica fere sibi

---

10) Struve l. c. pag. 17.
11) Bemerkung über d. Syphilis u. ihre verschied. Formen etc. in Rust's Magaz. Vol. IX. pag. 217.

quasi eligere illum, neque umquam os frontis adfectum nobis esse animadversum.

§. 17.

Mentis alienationes.

Eos, qui morbo Dithmarsico laborant, vel moestos esse et melancholicos, vel summam animi exhibere lentitudinem et salutis suae incuriam, Struve auctor est 12). Utrumque quidem a nobis est visum, sed haud raro quoque non solum summam eorum aegrotorum stupiditatem, verum etiam veram fatuitatem et mentis hebetudinem observavimus, ita ut omni quidem curae, licet molestae saepius et dolorificae, ut cauterii actualis et setacei applicationis, facile sese praeberent, ipsa stoliditate et incuria impediti, praecepta medica sequi non quidem nollent, sed nequirent potius. Interdum vero animus nullo modo adficitur, sed aegroti iustam et perfectam sui conscientiam servant, et aliquoties summum eorum astutiam, ad curam nostram frustandam, adhibitam doluimus.

§. 18.

Morbi exitus.

Morbum Dithmarsicum certum decursum numquam exhibere, neque eius periodos vel stadia poni posse supra iam moniu. Lentissime fere semper progreditur, per annos et lustra, immo per decennia, quiescere fere videtur interdum, sed nihilominus intus corpus exercet, sensim sensimque unam alteramque corripit partem, et tantam, tot tantarumque partium simul inferre visus est cladem, ut vix intelligatur, quomodo aeger non solum vivere, verum etiam aliquo modo bene habere et negotia quaedam agere possit. Vidimus enim mulierem nuptam, cuius alterum os bregmatis, totum fere necrosi extrusum, nunc in Universitatis Grypesvaldensis museo anotomico servatur, et cuius dura mater ad quatuor et quod excurrit policum circuitum denudata erat, cuius cerebrum vivo modo pulsare, et agitari observabatur; eius nares tam penitus destructae erant, ut, neque septi, neque concharum, neque nasi externi ullo vestigio relicto, recta in choanas, tamquam in profun-

---

12) L. c. pag. 10.

dam cavernam inspicere posses; labium superius nullum, et ossa intermaxillaria, elapsis dentibus, contracta et maxima parte resorbta, ita, ut fere nullum inter narium orisque cavum discrimen; genae herpete circinato tantopere exercitatae ut cicatricibus magnis, cuteque contracta, utriusque palpebrae inferioris ectropium latum, rubrum, foedi adspectus, sit ortum; crura ulceribus rodentibus adfecta; — et nihilominus miseranda haec aegrota lini fila nere, liberos curare, domesticisque negotiis vacare valuit, donec denique, febre hectica orta, virium exhaustione, et perpetua inquietudine interfecta est.

§. 19.

Hoc autem modo plerumque, nisi curantur, aegrotos necare solet morbus Dithmarsicus: continuo eoque copioso ulcerum effluvio vires denique conficiuntur, nocturnis doloribus, ulcerum vulnerumque et tumorum vexationibus consumitur aeger, accedunt pectoris affectiones, quae postremo vel in phthisin pulmonum, vel in universalem abeunt tabem mortem solito modo cientem.

Raro tamen tristem hunc luis finem observare nobis licuit, quum semper fere morbus, nisi sanaretur, vel remediis a medicis praescriptis, vel etiam domesticis medicamentis adhibitis, mitior sit factus, eiusque progressus, natura iam lentisimi, adhuc retardati sint; ita, ut saepius matronas viderimus, quae ex adolescentia inde hoc morbo adfecto et perpetuo vexatae, ad summam tamen vixerant senectutem.

III. Causae.

§. 20.

a) Contagium.

Morbum nostrum contagiosum esse, a nemine fere negatum est, qui illum observavit; omnes potius excepto Huebenero consentiunt inter se de contagiosa eius natura, et, ut funditus eradicetur fugeturque, contagionem et aegrotis communionem, vitandum, omnique modo impediendum esse, suadent. Et tamen rarissima sunt verae contagionis exempla, ita, ut, quod supra iam memoratum est, aliquoties marem sanum sine ulla noxa cum uxore rem habuuisse constet, cuius labia putenda condylomatibus quam plurimis scaterent. Infantes, natos a matribus summopere lue adfectis, vel nutricum aegrotarum ubera lactantes,

sanos mansisse, interdum visum est, et saepe unum alterumve familiae socium diu morbo laborasse compertum habemus, dum omnes reliqui, licet intima necessitudine cum aegroto coniuncti, perfecta gauderent valetudine. Quae, quum morbum nostrum contagiosum fere non esse ostendere videantur, sunt tamen exempla, quae contrarium probare putes; non solum enim quorumdam pagorum vicorumque incolae praecipue et ex plurimis annis inde eo adficiuntur; verum etiam peregrini qui diutius in iis locis adfectis vitam degunt, tandem corripiuntur, et credunt quidem eorum locorum populares, in coenis praecipue, ubi ex una lance plures edunt contagionem fieri; notum etiam habemus, quasdam familias omnino et generatim lue esse adfectas, ita ut neque parentes, neque liberi, neque servi quidem et ancillae integri ab illa manerent; licet tamen rarissime posterioris huius casus exempla offerantur. Numquam autem manifestam morbi per contactum communicationem locum habuisse, neque umquam concubitum contagioni ansam praebuisse comperimus.

§. 21.

Quae quum ita se habeant, arduum certe est, et difficile, de morbi Dithmarsici indole contagiosa, iudicium ferre: quum enim omnibus manifestae contagionis exemplis careamus, et diuturna cum affectis communione potius opus sit, ut morbus oriatur, vel eius contagium valde fixum esse, lentum et debile putandum, vel rerum externarum, vitae generis, aquae et ciborum in omnes communi efficaciae plus tribuendum culpae, quam ipsi contagioni.

Ulcera primaria ex locali quadam contagione oriunda numquam visa esse, neque umquam locales affectiones prius, quam constitutione universa lue correpta, nasci certum et supra iam monitum est. Itaque, licet contagionem interdum fieri omnino negare nequeamus, statuendum tamen esse videtur, contagium ipsum, cum aëre atmosphaerico mixtum, totum organismum sensim sensimque penetrare, eumque ipsa illa dyscrasia adficere, quae denique conditionibus externis accedentibus, localia vitia producit, generatque; eodem fere modo, quo gangraena illa, quam nosocomialem vocant, numquam in vulnere oritur, nisi toto corpore antea typho correpto. Hereditarium autem esse posse morbum nostrum eo minus infitias iri pot-

est, quo certius foetui in utero generalis quaedam ad morbos certos diathesis a matre communicari potest, dum localium affectionum transitus reliqua corporis fabrica integra, locum habere fere nequire videatur. Et vidimus quidem, quamquam raro, parentum pseudosyphiliticorum infantes, debiles et miseros natos, paulo post ulceribus, aphthis et condylomatibus correptos esse.

§. 22

b. Causae remotae, quibus dyscrasia oritur.

Morbum Dithmarsicum, etsi sola contagione propagari posse non negemus, oriri tamen, quasi generatio aequivoca quotidie ex causis externis, corpus infestantibus, pro certo habemus. Eae causae autem, quum morbus per ingentem Germaniae septentrionalis tractum et iuxta Baltici maris littora grassetur, sane in coeli terraeque et vitae generis proprietate quaerendae sunt. Primum igitur accusanda mihi videtur coeli et aeris intemperies, quae unius diei tempestas certa stabilisque raro esse, sed gravissimis vicissitudinibus saepius turbari solet; ita, ut media aestate summum calorem diurnum, vespertinum frigus intensum excipiat. Aër semper fere maris et terrae paludosae vaporibus humidus, excepto tempore aequinoctii verni, ubi Eurus tam tabificus flare solet, ut terra ad cinerum instar exsiccetur, frondesque ipsae interdum emarcescant. Autumno nebulae crassae, foetidae, et palpabiles fere, ut ita dicam, e mari paludibusque surgentes, super longum terrarum tractum expanduntur, et hyeme praecipue circa brumam, raro frigus intensum, sed coelo obtecto, humida nix, et terrarum illuvies. Per omnem Provinciam nullum vernum flumen, pauci tantummodo rivuli, multae paludes aquarumque stagnantium lacus, circa quos terra longo tractu continuo uliginosa: reliqua terra constat vel ex fertilibus agris pratisque, vel ex vastis incultisque tesquis, turfam incendiariam solam praebentibus; — nullae denique silvae, pauca nemora reperiuntur per hanc provinciam, arboribus eo magis orbam, quo maiorem frugum segetumque copiam producit.

Aquae omnes fere salsae (Brackwasser) rari fontes dulces, ita ut et puteorum plurimi aquam praebent

ingratam, quae iis, qui ad eius potum haud adsueverunt, non taedium solum sed colicas et diarrhoëas quoque excitare valet.

§. 23.

Ubi de vitae genere sermo est, neque proceres quidem et classici cives neque agricolae primarii in censum veniunt, quippe quos per omnem terram orbem et per Europam saltim simili modo fere vesci agere, et vestire, notum est; sed de popularibus et plebeiis, qui praecipue etiam luem Dithmarsicam patiuntur, intelligenda sunt, quae modo prolaturus sum. Eorum igitur, ad littora et prope lacus, praecipuum negotium est piscatio, cui diu nocteque vacantes, nivi pluviaque et gelido ventu expositi, gravissimos subeunt labores, saepe ad cutim usque, undis impetuosis perluuntur, et quotidie fere, in Syrtis pluvinisque retia pandentes, ipsi aquam marinam ad abdomen usque ineunt. Multi contra eorum qui in mediterraneis regionibus domicilium habent, turfa ex locis uliginosis effodienda, vitam trahunt, aërem paludosum spirant atque continuo et vaporibus humidis et aqua sordida madefiunt; alii, nautae, oceano vitam committunt, ut postea quaestum, in itineribus factum, in patria otiosi consumant, alii vero, quibus melius sors exciderat, agricolarum servi, rura colunt et greges armentaque pascunt. Piscationem, turfae effossionem, et agrestia negotia et mulieres puellaeque adultae tractant, praecipue autem verno tempore ad abdomen usque in lacus rivosque vadunt, ut ovium vellera abluant.

§. 24.

Omnes male vestiuntur, exceptis fere nautis, qui ex remotis terris amictum congruentem referre solent. Linteis fere utuntur vestimentis mares, ita ut tempore gelido horripilationem adspectu Tibi moveant et braccae et togae albae, ex linteo solo confectae, raro panno laneo tenuiori intus munitae.

Vescuntur fere solis solani tuberibus et piscibus vel recentibus vel salsis aut fumo siccatis, quod utrumque nutrimentum, licet per se sanum et gratum, quotidie, et solum voratum, homini detrimentum necessario adferre debet; raro brassicis et leguminibus siccis vel farinaceis cibis utuntur, numquam fere caulibus olerum, rapis, leguminibusque recentibus ut pisis, fabis, pha-

seolisque viridibus aut fructibus horaceis. Gravia quaerunt omnia et valentissima, quae stomachum modo replendo, diuturnum satietatis sensum efficiunt, ideoque solani tubera, viscida, immatura et, densitate aquosa, pinguia, farinaceis, maturibus et mollibus praeferunt. Neque salis sufficientem quantitatem addunt, neque ulla alia aromata, sed dulcia amant.

Bibunt vel aquas illas salsas atque immundas, omni gaze carbonico carentes, vel cerevisiam tenuem, insipidam, lupuli conis raro, quassia saepius amaram, et ut aiunt, ledi pallustris vi inebriantem. Praeterea autem magnam frumenti spiritus hauriunt copiam, et mangonia illa artificia, quae, loco coffeae, cichorii radices continent.

§. 25.

Domicilia omnia unam tantum habent contignationem, paucorum solum tabulis ligneis stratum, plurimorum pavimento luteo munitum; et tanta est aeris terraeque humiditas, ut in plurimis parietes continuo madescant, immo aqua guttatim defluat. Fenestrae parvae — ut fortassis ubique in id genus tugurii fieri solet, — numquam aperiuntur, et turfae, in fornace rimosa incensae, fumus foetidus cubiculum unicum perpetuo replet; quippe quum multae earum casarum, caminis sive spiraculis fumi omnino carentes, per portam apertam, vel tecti, fenestrarumque rimas foci fumum extrutant.

§. 26.

Haec omnia ad morbos chronicos et cachecticos dyscrasicosque producendos aptissima esse, quis est qui inficias eat? qui mala, a tenerrimis annis inde vorata nutrimenta, scropuloseos, frigoris calorisque frequentes, subitaneasque vicissitudines, rheumatismi et arthritidis auctores adnoscat? Et frequens, profecto uterque morbus in hac provincia infantes adultosque vexare solet. Licet autem scrophulae, pubertatis annis fere evanescentes et regressae, posterius in arthritidem quasi mutari soleant, uterque tamen morbus simul et una corpus infestare, alterque cum altero coniunctionem quamdam inire posse videtur, quae utriusque vestigia prae se ferens, singularem tamen exhibet formam, et causis morbificis protinus corpus infestantibus, peculiarem quamdam gignit dyscrasiam. Hac autem se-

mel in pluribus eiusdem provinciae ad liberos transire, et nisi statim germinant, occasione data tamen eo facilius pullulare debent, quo magis et consuetudine longaeva et ab aliis provinciis separatione abusus illi servantur, qui primum dyscrasiae stirpem dederunt et ortum.

Quodsi hoc modo pseudosyphilidem ad maris Baltici littora ortam et endemicam factam putamus, ita ut rusticorom infima classe paucos ab illa lue interna et clandistina integros habeamus; conditionibus tamen externis opus esse videtur, ut morbus localem suam exhibeat saevitiem.

§. 27.

c. Conditiones, sive occasiones externae, affectionum localium.

Affectiones locales licet dyscrasia diu antea iam in corpore latente, frigus repente exceptum sequi, et ex cutis perspiratione subito suppressa originem ducere, iamiam prolatum est. Bis vidimus mulieres, alteram matronam, alteram iuvenem et puellam, quarum utraque artuum doloribus ante vexata, postquam, in ovibus lavandis aquae algorem, pedibus, femoribus, et abdomine exceperat, condylomatum longam in vulva et perinaeo habuit seriem.

Eodem modo piscatores et turfae effossores crurum ulcera cutanea, cutis indurationem et tibiae exostoses, periostosesque, neque non gonarthrocacen et genu tumorem album pati solent. Coxarthrocacen, cubiti et humeri ulcera et tumores orta vidimus, postquam homines pseudosyphilide latente adfecti, in humidis pratis super madidum cespitem cubantes, somno diutius indulserant.

Neque violentiae externae huius morbi affectiones locales producere nequeunt. Omnem locum casu contusum in hominibus lue Dithmarsica adfectis, in ulcus caeoethes abire, Struvius auctor est 13). Iuvenem quemdam candidissimum, qui hereditaria luis semina gessit, ex praeputii contusione, ulcus speudosyphiliticum huius partis habuisse, prius narravimus. Capitis

13) l. c. pag. 12.

contusiones aliquoties cranii ulceribus et necrosi exceptas fuisse animadvertimus, et narium fauciumque ulcera, coryzam, anginamque tonsillarum, excepto frigore ortam, sequuntur.

IV. Diagnosis.

§. 28.

Struvius vir Cel., qui primus morbum Dithmarsicum sui esse generis et a syphilide diversum contendit, vehementer quidem, sed iniuste, ob hanc sententiam castigatus est 14); neque nos fugit et nostrum de hac lue iudicium certe taxatum iri, quod plurimi omnia, quae, aliquam cum morbo gallico similitudinem prae se ferentia, mercurio sanantur, syphilitica et venerea putent. Quorum opinio, licet rei nocere nequeat, quum uterque morbus plerumque eodem modo sit curandus, tamen ipsa natura, ut nobis quidem videtur, omnino refutatur.

A morbo enim gallico morbus Dithmarsicus differt.

1. Ulcerum primariorum et contagionis localis absentia: partium obscoenarum ulcera et condylomata concubitu numquam comperimus; oris et labiorum ulcera, Struvius quidem per fistularum tabacariorum communionem, eoque modo transvectum contagium, nasci posse suspicatur 15), at nulla rei exstant vera exempla, multa vero contrarii, ita ut omnino nobis persuasum habeamus hanc luem semper primo totum organismum dyscrasia quadam adficere, quo facto localia vitia, conditionibus faventibus, oriuntur.

2. Contagionem omnem cum Huebenero 16) negare non quidem ausi sumus, quum experientia alia docuisse videatur; at, morbum Dithmarsicum multo minus esse contagiosum quam gallicam luem, omnino contendendum est: eius contagium debile, valde fixum

14) Aug. med. Annalen 1820. May N. 5. pag. 642.
15) l. c. pag. 8.
16) l. c. pag. 26.

et eius indolis esse videtur, ut numquam uno contactu in unum tantum corporis locum agi possit, sed, per atmosphaeram distributum; totum organismum sensim sensimque infestat.

3. Exstant, quamquam rara, exempla luis Dithmarsicae vel sine mercurio 17), vel omnino sponte, et medicaminibus nullis propinatis 18), sanatae.

4. Lues gallica os frontis, palatum osseum, longorumque ossium corpora imprimis corrumpit; morbus Dithmarsicus ex cranii ossibus ossa parietalia fere sola, ceterum autem omnia fere ossa et articulos nullo discrimine exercitare solet. Illa saepius cariem, hic necrosin gignere valet.

5. Ea narium ulcera externa, quae supra descripta sunt, in morbo venereo non accurunt.

6. Morbus pseudosyphiliticus licet saepe sanatu difficilior sit vero morbo gallico, tamen, generatim paribusque in utroque morbo conditionibus, et segnius progreditur, et minus periculosum sese exhibet. Hominum, a teneris inde morbo gallico infestorum et tamen medicaminibus aptis fere non adhibitis, ad summam senectutem viventium, exempla profecto non exstant; contra nostrum morbum haud raro adolescentem corripere, et eum sene tandem mori videbatur.

Quibus adde omnia ea, quae Struvius, Huebenerusque de morbi Dithmarsici a lue venerea differentia protulerunt, et omnino, cum hoc componi non posse illum concedes.

§. 29.

Morbum Dithmarsicum eundem esse ac lepram arcticam quam Radesyge vocant, utrumque autem morbum veterum leprae occidentalis esse residuum, Cel. Struvius, elegantibus prudentibusque rationibus probare conatus est; eum refutare Huebenerus, non satis firmis argumentis, ut nobis videtur, frustra tentavit. Uterque autem auctor morbi Dithmarsici naturam in dyscrasica organismi alienatione, quem ille leprosam, hic peculiaris naturae esse putat, versari, affirmat, illam dyscrasiam et malam humorum, solidarumque partium

---

17) passim apud Struvium.
18) Huebener l. c. pag. 32.

mixtionem, ex coeli, terrae, et vitae generis proprietatibus oriri posse, neuter negat 19). Generatam igitur et natam esse posse luem Dithmarsicam in ipsis iis regionibus, quas nunc populatur, nemo infitiatur; nostra igitur vix interesset, advectus sit morbus ex Suecia, Norvegiaque, nec ne, quem indigenum esse posse agnovimus, nisi argumenta quaedam ad eam quaestionem affirmandam prolata essent. In Holsatia enim eos opifices Norvegicos qui in paludibus Kronprinzenkoeg laboraverunt, in Pomerania olim Suecica, morbi gestatores et advectores, accusaverunt. Struvius vero eas differentias, quas Radesygam inter et Pseudosyphiliden animadverterat, coelo et terra tantum productas esse suadet. Nonne autem annorum plurimorum spatio opus sit, ut morbus popularis, ex altera terra in alteram translatus, tantopere mutet naturam? Sane primi, qui cum Leprosis Norvegicis, Suecisque communionem habuerunt, vera Radesyga adfecti essent primum, et sensim, sensimque morbus tandem, alium post alium corripiens, naturam mutasset, si eo modo lues ex remotis regionibus transvecta esset. Nec cogitari potest, tam novi, tamque invisi in nostra terra morbi, ut Radesygae verae, ne ullam quidem mentionem a medicis factam esse. Quae quum ita se habeant, morbum Dithmarsicum ipsam e Scandinavia advectam Radesygen non quidem esse posse, arbitramur; sed tantum abest, ut omnem utriusque morbi analogiam et congruentiam negemus, ut persuasum nobis sit, luem Dithmarsicam ad maris Baltici littora meridionalia eodem modo in ipsa terra natam esse, quo Lepra arctica in terris Scandinavicis ex similibus causis orta est; a qua opinione et Struvius, modo bene eum intellexerim, alienus non esse videtur.

§. 30.

Scorbutum, vel scorbuti cum aliis morbis complicationem, esse morbum nostrum quidam opinati sunt, cuius sententiae vanitatem optime docuerunt et Struvius Huebenerusque, et stomacaces scorbuticae, haemorrhagiarum, ulcerumque singularium in nostro morbo absentia. Ut in Holsatia, teste Struvio, ita et in

---

19) Struve l. c. pag. 126, et Huebener l. c. pag. 41.

Pomerania Transpanensi rarissimus est verus scorbutus; et quamque Cel. Sprengel nuperrima hyeme stomacacen epidemicam vidit, saevitie et magnis doloribus, quos ciere solebat insignem, ea tamen nihil fere cum scorbuto communis habuit, se, ei epidemiae simillima, quam Ill. Mende, annis nostri saeculi sexto et nono, Gryphiae observavit 20), ut illa, antiscorbuticis remediis numquam domita, solis laxantibus et purgantibus medicinis frequenter propinatis, sanata est. Omnis ceterum, qui hac stomacace adfecti erant, morbi Dithmarsici latentis ne suspicionem quidem moverunt, ut ea stomacace potius localis telae cellulosae circa dentium radices inflammatio et exulceratio esse videretur.

§. 31.

Sunt autem alii quidam morbi, cum quibus magnopere congruere mihi videtur morbus noster; ut Sibbens in Scotia, formae eae, quas Carmichael nomine venerei morbi a vera syphilide gallica distinxit, et il mal di Scherlievo per Illyriam et Italiam superiorem, et reliq.; omnes hosce morbos in regionibus marinis, paludosis invenimus, quarum incolae miseram gerunt vitam, et, mutatis mutandis, similem duxerunt sortem.

Morbum pseudosyphiliticum Pomeraniae eundem esse ac luem Dithmarsicam Holsatiae facile est intellectu; sunt quidem differentiae quaedam inter utrumque malum, sedeae dumtaxat, quae ex externarum rerum varietate ortum trahunt; lentiorem quidem, sed magis tamen destruentem et curatu difficilioram decursum exhibet morbus in Pomerania, videturque priscam suam in hac terra magis retinuisse formam, cuius rei caussa an fortassis in exiguae provinciae a reliqua Germanica separatione, et isolationes quasi, sit quaerenda, aliis diiudicandum relinquo, id tantum statuens: Grassari per Pomeraniam Transpanensim morbum dyscrasicum in reliqua Germania, excepta Holsatia, nondum notum, lui gallicae similem quidem, sed ab ea pluribus rebus longe diversum, in terra ipsa natum, et cum malo Dithmarsico Holsatiae omnino congruentem. De hinc iam de nomine disceptare eo minus

---

20) Hufeland's Journal. 1809 N. 10. pag. 24.

attinet, quo minoris ponderis universim rerum nomina esse videantur, dummodo res ipsas bene intellexeris: Dithmarsicum appellandum esse morbum censui, quod Struvius, primus de illo auctor, eo nomine usus sit; pseudosyphiliden, quod morbum Gallicum interdum simulet, et quoniam hoc homine, dummodo, recte interpretemur, nihil aliud significari potest, nisi morbus, gallico similis quidem, qui tamen alius est generia.

V. Prognosis.

§. 32.

Quum noster morbus in universali humorum corruptione, sive dyscrasia versetur, quae eae permultis rebus externis corpus infestantibus, originem ducit, facile intelligitur, difficilem esse curatu, nisi omne vitae genus, victum et amictum, mutare valeamus. Id autem rarissime fieri potest, quum inopia, paupertas, et animi lentitudo eorum, qui praecipue morbo corripiuntur, efficacibus consiliis capiendis impedimento sint. Praeter nosocomium elegans et satis amplum quod Sundiae floret, et nosodochium chirurgicum clinici Gryphiswaldensis nullus fere est locus rationalis curae instituendae; quam parum autem utrumque institutum sufficere possit, ut tanta aegrotorum multitudo iusto modo curetur, facile est intellectu. Plurimi igitur curantur remediis paliativis, sanant ulcera alia, ut alia recrudescant; localibus medicaminibus, circulatorum, et vetularum carminationibus, raro sarsaparillae, et lignorum potu utuntur aegroti, ita ut plurimi morbum secum ad senectutem usque trahant. Morbi nostri sponte sanati rarissime videntur, neque fere sine mercurio in Pomerania sanari posse videtur, quod quidem ex maiore, quam apud nos habet pertinacia atque vi, explicandum est.

§. 33.

Qui autem nosocomiis recte constitutis recipiuntur ubi omnia, quibus opus est, iusto modo fieri possunt, facilius difficiliusve sanantur, et visum quidem est, formas alias topicarum affectionum mitiorem morbum, alias graviorem portendere. Facillime semper partium genitalium vitia, condylomata puta, sanari vidimus; neque narium orisque ulcera interna, etsi ossa iamiam

correpta essent, magna curae obstacula obiicere sunt visa; brevi enim tempore, recta medicina facta, ossa semel corrupta, soluta, et per aperturas vel spontaneas, vel manu factas, extrusa, reliqua autem omnia sanata sunt. Articulorum extremorumque partium vitia, et ea ulcera quae cum cutis in cruribus duritie et crassitudine esse solent, difficilius fere sanantur, opusque est, diu aegrotum omni diligentia curare, arctisque coërcere legibus diaeteticis, ut tandem a morbo liberetur; non minus pertinacia sese exhibent ulcera narium externa, quae multis quidem remediis meliora fiunt, neque ultra serpunt, sed, nisi accuratissima cura generali instituta numquam ad perfectam sanationem perducuntur. Ubi cranii ossa necrosi adfecta sunt, non contumacissimus solum esse solet morbus, verum etiam, ossibus necroticis tandem eiectis sive extractis, ipsaque lue post longam curam sanata, foramina in calvaria superesse solent, quae sine noxa vel incommodo saltim esse non possunt. Mirum autem ceteroquin est, quod supra etiam memoravimus, quam diu noster morbus interdum partes exerceat, quae tandem, lue sanata, tantae cladis vix vestigia ostendunt. Quantasne libidinum poenas dare soleant ii, qui morbo Gallico per longius temporis spatium laborantes non doloribus tantum, verum etiam formae turpitudine et adspectus foeditate adficiantur, partes ammittunt, et vix hominis similitudinem habent! dum contra, noster morbus, qui publica calamitas, innocentes quaque corripere valet, tanta, deformitate illos raro mulctet, sed paucis tantum exceptis, placida prius auferrat morte. De iis autem, qui febre hectica et colliquatione iamiam correpti sunt, conclamatum esse fere solet, quum et morbus ipse exitialis sit, et tantus virium lapsus, ut medicinam efficacem ferre non valeant.

VI. Cura et medicatio.

§. 34.

Prophylaxis.

Praecautiones instituendas esse publicas, quibus morbus coërceretur, quin latius propagaretur, et in Holsatia suasit Cel. Struvius 21), et in Pomerania

---

21) l. c. pag. 190. sqq.

Transpanensi censuit olim Collegium sanitatis; neque negandum est morbum nostrum, quem contagiosum non esse demonstrari nequaquam potest, omnino dignum esse, quem disciplina publica, certisque legibus oppugnare conemur. At, si hoc modo quidem mitior fortassis fieri et aliqua ratione temperari potest morbus Dithmarsicus, extingui plane et eradicari profecto nequit, nisi ipsa eius stirpe prius deleta; quam autem, cum in ipsa terrae coelique natura, tum in longaeva incolarum consuetudine sitam, neque legibus, neque disciplina obtemperaturam, solo tempore tandem fortassis exterminatum iri, sperandum est. Describendis igitur iis cautionibus prophylacticis eo facilius supersedeo, quo luculentius iamiam a Struvio propositum est, quidquid huc facere potest, et quo magis persuasum mihi habeo hoc modo multum quidem effici ad morbum debellandum non posse. Eo tamen omni studio nitendum esse mihi videtur, ut populares noscant demum morbum, ut per edicta publica eius a morbo Gallico discrimina puplice innotescant, ne aegroti verecundia falsa a vera medicina quaerenda retenti, circulatoribus vetulisque suam comittant et salutem et vitam.

§. 35.

D i a e t a.

Quum supra, dyscrasiam eam, quae luis Dtthmarsicae causa nobis esse videtur, e vitae generis, victus amictusque proprietatibus oriundam esse, exposuerimus, omnia ea mutanda esse, et melius instituenda ut feliciter morbum cures, facile est intellectu; quodsi omnes eos aegrotos in siccam apricamque regionem montanam transferre possemus, si iussu nostro pauperies, miseria, et inopia cum vita, voluptatibus et divitiis suavi, commutandae essent, facile profecto huic morbo mederemur; quae autem quum secus se habeant, quantum fieri potest, suadenda munditiеs domicilii ipsiusque corporis; purgandae domus, et ventilandae quotidie; retinendi aegroti a negotiis iis, quibus necessario corpus madefieri et frigus excipere debet, iubendaeque aliae occupationes quibus vires mediocriter et citra nimiam fatigationem exercentur. Vetandi cibi graves, pingues et viscidi, et, loco piscium, solanique tuberum, porrigenda carnis iuscula, caro assa vel cocta, et legumina viridia fructasque horaei; propinanda cerevisia pura, quae et bene de

ferbuit, et lupuli iustam continet quantitatem, interdum vini paullulum, et, si fieri potest, aqua pura fontana: quod si, ob rerum angustiam, nutrimenta eo modo cum melioribus commutare non liceat, condiantur tamen omnia, suadendum est, et sale et iis aromatibus, quae, ut piper, herba maioranae, serpylli, petroselini, semina carvi et sinapeos res vilis pretii esse solent; neque hoc pacto consentire possumus cum Struvio, carnem recentem et iuscula carnis validiora interdicente tubera autem solani sine sale, pastillos etiam farinaceos edere, iubente 22); omnino autem ei adsentimur, ieiunium, vel a satietate omni obstinentiam, praecipienti. — Vestimenta aegrotorum, si fieri potest, sint lanea, praecipueque suadenda sunt indusia ex panno laneo tenuiore texta, quae etiam, facile parabilia, a nautis sponte plerumque geruntur.

§. 36.

Medela.

Si ea, quae de diaeta modo praecepimus, bene instituuntur, omnia mox meliora redduntur, ita, ut, cum experimenti causa aliquoties, praeter iustam vitae ordinem nihil dedieremus, maximam perfectae sanationis spem ceperimus; neque obsonum esse videtur, et hoc modo eam totius organismi mutationem et quasi renovationem effici posse, qua, ut tollatur morbus opus est nobis tamen numquam contigit, ut tam vili pretii veram salutem haberemus. Semper potius medicamentis, rationali et certo modo adhibitis opus fuit, ut eam salubrem corporis immutationem nancisceremur. —

Initio quidem omnia ea medicamina, quae, conclusionibus ex analogia factis, et rationali empiria adhibita, utilia videbantur, solito modo praecepimus, quo facto et interdum, antimonialibus pharmacis praecipue propinatis, leviores morbi casus sanati sunt, ita ut tartaro stibiato praesertim, in refracta dosi, ut nauseam moveret, dato, iustas laudes negare nequeamus. Mox autem graviores casus et inveteratos, hisce remediis aeque ac mercurialibus, solito modo adhibitis, non obtemperare animadvertimus; mercurium sublimatum vero quamvis Struvii laudibus celebrem 23), praescri-

---

22) l. c. pag. 159.
23) l. c. pag. 163.

bere numquam ausi sumus, medicamen puta efficax quidem, sed periculosum, et minima quoque dosi interdum venenans, respuentis; et arsenicum, quod Angli temere propinare solent 24), adhibere nefas censuimus; tinctura antimiasmatica Koechlini, acida mineralia, et aurum muriaticum nihil effecerunt.

§. 37.

Quae quum ita sese haberent, et illam, quam Rustius, Louveriusque primi praeceperunt curam ἐλειπτικὴν, et Weinholdii methodum, quae magna calomelanos doses porriguntur, adhibendas esse, Cel Sprengelius censuit, et profecto utraque modo ad hunc diem usque tam perfectae tamquam frequentes sanationes efficiebantur, ut, quum numquam ullum ex iis medicationibus malum ortum viderimus, eas, tamquam panaceas et certa hujus luis remedia laudare possumus. Accuratiori quidem earum curarum descriptione eo facilius supersedeo, quo magis, insigni sua efficacia et salubritate, notae iamiam sint: id tamen notandum mihi videtur, quod Weinholdii methodus, quae minus et temporis et diligentiae requirit, in iis casibus praecipue adhibenda videtur, ubi aegrotus mediocriter tantum effectus in domo sua manere debet, neque medicus omni tempore praesto esse potest; ubi vero aegrum nosocomio recipere, vel vicinum Tibi, et in iusto cubiculo habere potes, instituas suadeo statim Rustii medicationem, quae et certius sanat, et, ut nobis quidem videtur, minus corporis infesta esse potest. Nihil quidem obstat, quin ubi mitior morbus est, et recentior, curam quoque contrahas, brevioremque redeas; quam quum vero saepius spes, brevi etiam tempore spem sanandi fefellerit, longiorique spatio opus esse videatur totam potius semper quam auctor praescripsit, curam instituere, consulendum est, unguenti infricandi autem, ubi opus videtur doses minuendae.

§. 38.

Utraque autem medicationis methodus, ut nos quidem experientia docuit, ibi tantum vero salutifera exstitit, ubi salivationem effecerat, quod quidem ne-

24) v Emden über die der Lustseuche gleichenden Krankheiten Rust's Magazin Vol. V. pag. 368. p. 418—429. 433. rel.

quaquam semper fieri solet. Mirum enim est, quantam interdum aegrotis nostris pseudosyphiliticis mercurialium medicinarum copiam dedimus, salivatione nulla inde sequuta; numquam etiam salubrem hunc ptyalismum, calomelano solito modo propinato prolicere potuimus; quid, quod et saepe, ipsis Rustii, Weinholdiique methodis accurate adhibitis, omnibusque rite institutis, tamen non comparuit; quod quidem in pueris puelisque obesis et pulchris ceteroquin, quorum autem nares ulcere externo adfectae essent, animadvertimus; eos enim interdum bis terve, curam inunctoriam sustentare iubebatur, et nihil inde perfectum est, ut omnino nullas neque hydrargyrii neque inediae in corpus effectus adpareret. — Ubi vero tandem salivatio exoptata accessit, ibi semper etiam ulcera statim sanari, omnia morbi vestigia evanescere, et funditus hominem convalescere vidimus, neque, hoc modo valetudine restituta, umquam recidivas sequutas esse animadvertimus, ita ut salivationem criticam profecto, saluberrimam et necessariam in huius morbi cura censere, coacti fere simus, neque cum iis consentire possumus, qui eam vitandam esse et derivandam suadent 25). Notandum tamen est, semel salivatione solita quidem nullo vestigio comparente, diarrhoeam ortam esse, qua humoris, salivae simillimi, magna copia eiiceretur; eam salivationem quasi pancreatis fuisse putavimus, et eo certiores de hac sententia facti sumus, quo citius et facilius aeger dein sanitati restituebatur, quem antea satis diu frustra curaveramus.

§. 39.

Quum igitur salivatio magnopere utilis et necessaria fere est, eam autem saepius, mercurio, vel propinato vel inuncto, ciere frustra conabatur, vaporibus tepidis, gargarismatibus emollientibus et maxillarum frictionibus eam promovere, tentatum est, sed incassum: ubi igitur iis curationibus nullus producitur ptyalismus semper quidem melior fieri solet morbus, immo haud raro sanatum se simulare, paulo autem

---

25) Cf. Struve l. c. pag. 169 et Huebener l. c. pag. 54. 55.

post, iterum localibus adfectionibus sese manifestare, et aegrotum denuo vexare. Quo facto nihil certe superest, nisi iterum curationes eas maximaque diligentia instituere, saepissime enim ii, qui semel et bis, sine salivatione et id frustra, curati essent, altera, tertiave vice et bene salivari et perfecte sanari visi sunt. Cuius tam varii et mutabilis curationum effectus quaenam sint caussae, explicari quidem plane non posse puto, etsi interdum, diuturniori in nosocomio commorationi, lentaeque et pedetentim factae organismi mutationi et conversationi aliquid tribuendam sit.

Super est adnotem, ipsam salivationem numquam tantam fuisse ut cautionibus vel remediis propriis ad eam mitigandam opus esset; aliquoties quidem aegrotos plethoricos, durante vehementiori salivatione, fortibus ad caput congestionibus et sanguinis motu irregulari adfectos esse vidimus, quae autem symptomata vel vena secta, vel hirudinibus appositis et alvo purgata, statim evanuere.

§. 40.
Localia affectionum cura.

Ea ulcera et exanthemata, quae morbum Dithmarsicum comitantur sola cura locali sanari vel nequunt, vel sanantur tantum, ut postea aut in ipsis locis prius affectis, aut in aliis, denuo aperiantur; generali autem cura iusto modo instituta, sponte sanari solent; nulla igitur egent cura propria, nisi ea quae in munditia servanda et in rebus externis nocivis movendis versatur; et quamvis interdum, remediis localibus aptis adhibitis, citiorem eorum sanationem efficere posses, dissuadeo tamen quum ipsa ea ulcera nullis medicamentis tacta, ut ita dicam νουσόμετρα quasi praebeant, ex quorum vel meliore vel peiore habitu ipsius dyscrasiae statum divinare posses. Ubi autem ullus aliquod nobilioris partis, narium e. g. praeter solitum rapidius progredi, et parti velocem destructionem minari videtur, ibi omnino localibus remediis opus est, quibus exulcerationem coërceamus; ex quibus, post permulta instituta experimenta, nullum tamen efficax tamquam laudabile visum est, quam natrum oxymuriaticum, quod, aqua solutum, cum penicillo ulceribus illinatur, et tinctura opii crocata, quae in omni mala exulceratione specifica quasi vi gaudere videtur, ad bonam suppurationem ciendam.

§. 41.

Ossa necrosi affecta, etiamsi omnino soluta sint, non statim, cute incisa, extrahenda, sed exspectandum est, ut ipsa natura viam Tibi monstret, qua optime illa frustula removeri possint: eo enim modo et minorem dolorum efficies, et meliores cicatrices; et sperandum est, per

unam aperturam omnia extrahi posse, quae alias fortassis pluribus incisionibus faciendis occasionem praebuissent.

Arthrocace autem et tumor albus, licet sine generali cura antidyscrasica sanari nequeant, propriam tamen chirurgiam usque requirunt; tam pertinacia enim sunt mala et tam firmiter in partibus semel adfectis haerentia, ut praeter universalem curam antidyscrasicam, fortissimis remediis antagonisticis opus sit, quibus revellantur, quorum optimum, et efficassimum cauterium actuale nobis praebere, quis est qui nesciat? neque plura de praestantissimis huius auxilii applicatione proferrenda esse censeo, id tantum affirmans: neque diuturnam adustae partis exulcerationem, neque saniei ingentem copiam, arte elicitam, vere prodesse, sed ipsam tantum quae ex adustione oritur irritationem antagonisticam; neque igitur penitius adigendum esse ferrum candens, neque rodentibus medicaminibus opus esse; quibus diu exulcerationem sustineas, sed, ubi semel urendo nihil efeceris, iterum iterumque partem exercendam esse cauterio, idque in tumore albo, ubi partes adfectae sub ipsa cute iacent, multo levius esse ducendum et cautius, quam in arthrocace, ubi, ut ex ipsius ossis fabrica interna malum evellas, vehementiore, etiam ignei praesidii applicatione opus est.

VITA.

Ego Joannes Adamus Rau decimo mensis Martii die anni MDCCCI patre Joanne Adamo Rau mercatore lignario, et matre Eli abetha e gente Rens, quorum mortem valdopere lugeo, Wirceburgi urbe in regno bavarico natus sum.

Primis litterarum elementis iam ab ineunte pueritia in domo paterna privatim instructus scholam ad St. Petrum sub rectore dilectissimo Ziegler per tres annos frequentavi, post hinc in gymnasio Wirceburgensi per biennium litteris praescriptis incubui. Anno MDCCCXV militiam voluntarie capessivi, q ia ex petito meo post triennium solutus, studia haud omnino neglecta redintegravi. Anno MDCCCXIX in numerum civium universitatis Wirceburgensis a Prorectore t. t. Magnifico Ill. Doellinger receptus praelectionibus Ill. Rau de mineralogia, botanice, zoologia, et physice experimentali Ill. Metz de logice et anthropologia, Ill. Pikel de chemia ac pharmacia, Ill. Doellinger de anatomia et physiologia non defui. Ill Friedreich de pathologia, semiotice et therapia generali, Ill Schoenlein de therapia speciali, Ill. Hergenröther de materia medica et arte formulas medicas concinnandi disserentes audivi. Ill. Textor chirurgiam theoreticam, aciurgiam et acologiam, Ill. d'Outregront artem obstetriciam et doctrinam de mulierum morbis mihi tradiderunt, idem etiam in machina phantome me exercuit. In arte cadavera dissecandi Cel. Hesselbach praeceptore usus sum. Clinicis interfui institutionibus Ill. Textor et d'Outrepont. Mense Maii anno MDCCCXXIII hanc almam musarum petii sedem, et a Viro Ill. de Raumer hoc tempore fascias tenente academicas in album universitatis